

non sequitur, quod in realibus, ubi de Jure agitur sit competens, & possit supplere, quod firmavit idem *Farinac. supra num. 21.*, ubi quod si in Galliis, aliisque locis contrarium fervetur, ut testantur aliqui scribes, id non procedit de jure, sed de facto, tum quia id expresse prohibetur in *c. si diligenti ibi, in criminali, seu in civili negotio*, dum enim dicit in *civili*, prohibet etiam iudicium in realibus; in *c. quod Clericis*, ubi expresse loquitur de causis pecuniariis de foro competenti, *c. Inolita xi. q. 1.*, ubi quod Clericus trahens Clericum ad iudicia publica, causam perdat, in *c. placuit eadem xi. q. 1.* dicitur, *vel civilis causa fuerit commota, & in c. qualiter, & quando de iudiciis* prohibitio est absoluta, & universalis, unde comprehendit, tam causas criminales, quam civiles, & reales; tum quia bona Clericorum gaudent exemptione fori, *c. decernimus de iudiciis, Sperell. decis. 12. num. 35.*, *decis. 126. num. 74.*, & *seqq.*, *Ansaldo. de iurisdic. p. 3. tit. unico c. 9. n. 14.*, & *seqq.*, *Thom. del Bene de immunit. c. 5. dubit. 1. sec. 5.*, tum quia, etiam in causis civilibus adhuc verificatur, quod Iudex Laicus sit minor, & Ecclesiasticus major; unde naturalis ratio dicit, quod minor non suppleat pro majori, ut etiam superiori articulo notatum est, *c. cum simus 9. q. 3.*, ubi quod semper superior Ecclesiasticus aequandus sit, & ostendit, *Sperell. decis. 126. num. 59.*, & *seqq.*, ubi resolvit fundamenta allata in *decisione Pegueræ, & num. 70.*, ubi quod publica utilitas, & pax non suadet, ut laicus suppleat negligentiam Ecclesiastici Iudicis; tum quia utilitas publica, primò, & principaliter debet non repugnare saluti animarum, cui repugnaret, si laicus usurparet jurisdictionem Ecclesiasticam, quod Simachus Papa in Concilio 6. Romano, tempore Theodorici Regis, satis expressit in *c. non licet Imperatori dist. 10.*, tum etiam quia utilitas publica exposcit, ut jurisdictiones non confundantur, & quod inferior non usurpet jurisdictionem superioris, nec mittat manum in messum alienam, ut in materia eligendi Episcopos Hadrianus Papa declaravit in *c. nullus laicorum dist. 63.*, tum quia Laici sunt Clericis maximè infesti, *c. laici, c. Clericos 2. q. 3.*

3 Utrum possit Laicus ex Papæ Privilegio hanc jurisdictionem in Clericos, quo ad realia habere, & utrum ex consuetudine immemorabili colligatur, vide *Sperell. decis. 126. num. 85.*, & *seqq.*

4 Ad motiū de reconventionem pro prima sententia allatum. Primò dicitur, quod sunt sententiæ D.D. diversæ in hoc articulo, & plures negant, licet standum esse consuetudini loci, dicat *Carolus de Grassis de effectibus Clericatus eff. 1. num. 746. 747.*, ubi assertur rationem, quia Clericus Iudicem elegit contra Laicum; propterea non debet dedignari eundem contra se habere iudicem *c. 1. d. cuius in agendo 3. quæst. 8.* nec Clericus dicitur prorogare jurisdictionem Laici, sed est ipsa lex, quæ prorogat, ut notat *Angel. in l. 2. d. sed, & si agnat ff. de iudic. num. 1.*, *Ansaldo. de iurisdictione p. 3. tit. unico c. 9. nu. 55.*, tum ne causa dividatur, & in eadem plures, & diversæ sententiæ pronuncientur, & una actio impediatur alteram, quod omnino iure damnatur *l. si idem d. quod si mutue ff. de iurisdictione omnium Iudicum*, tum quia reconventio venit accessorie ad conventionem.

5 Quæ etiam reconventio cessat, primò in causa criminali, in qua Clericus non potest coram Laico reconveniri, propter defectum scilicet, & incapacitatem jurisdictionis in Laico, contra personam Clerici *Grass. d. eff. 1. num. 763. 773. ubi num. 764.*, cum *Ansaldo supra num. 117.*, etiam si causa criminalis tractaretur civiliter; Secundò cessat, quando reconventio heret supra re spirituali, vel spirituali adnexa ex eadem ratione, quia Laicus incapax est jurisdictionis in res spirituales; *Grass. ibidem num. 766.*, ubi *num. 769.*, quod, & cessaret reconventio, si Clericus convenisset Laicum coram Laico Iudice, per fraudem, & malitiosè, ut scilicet à Laico postea reconveniretur; *Ansaldo. de iurisd. loco supra citato n. 115.*, quia Clericus non potest cedere, aut renuntiare privilegio Clericali, quod non in sui, sed status Clericalis favorem inductum est, *c. si diligenti de foro compet. sunt, & aliæ fallentiæ hujus reconventionis, de quibus Grassus loco citato, aliique D.D. sunt videndi apud Ansaldo. de iurisdic. p. 3. tit. unico c. 9. à num. 52.*, & *seqq.*

6 Quod autem immunitas bonorum Ecclesiasticorum non sit de Jure divino, ac propterea non repugnet cadere sub Laica Jurisdictione, Respondetur id ad summum probare, quod ex Pontificis privilegio Laico possit concedi, eo tamen sublato, semper patet, quod nulla jurisdictione competit Laico in bona Clericorum, & consequenter nequeat supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici, neque in realibus.

ARTI-

ARTICULUS XX.

De Negligentia in Moralibus, quid operetur.

Explicari de facili non potest, quanta mala operetur negligentia in moralibus, ad quæ evitanda Draco legislator Atheniensis legem statuit, ut qui damnati forent Otii, & negligentia, capite mulctarentur, vulnus namque sanabile, si negligas, lethale evadit, ut cecinit *Ovid. lib. 1. de remed. (Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus, dilatatum longe damna tulisse moræ)* ita ut *Gregor. in 1. lib. Regum* horrendum hoc pronunciarerit, quod negligens vix salvari possit, & potest colligi ex *cantic. c. 2.*, ubi capite nobis *Vulpes parvulas, quæ demoluntur vineam*, si enim parvulas Vulpes, idest modica, & levia spernas, negligas, demoliuntur vineam, idest omnes fructus spiritus devastant, & destruunt, hinc *Lucæ 12. Dives, qui epulabatur quotidie splendide, sepultus est in inferno*, eo damnationis devenit, quia micæ Lazaro dare neglexit, & habemus *Ecclesiastic. 19.*, qui modica spernit paulatim decidit, quanto magis si grandia negligat.

2 Prima, & inter omnes negligentias periculiosior, sed in pluribus frequentior, est negligentia sui ipsius, si enim cuncta de mundo diligentissime cures, ut politici anxio labore defudant, te autem negligas, & pereas, quid profunt cætera, quod notavit *Thom. à Kempis suo opusculo de Imitatione Christi lib. 2. c. 5.*, quod congruit cum Evangelica sententia *Matth. c. 16. Quid prodest homini si Universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*, Curet ergo diligenter homo se ipsum cognoscere, & considerate suas operationes dirigere, neque quod æternitatem importat, negligat, docuit enim Spiritus Sanctus *Ecclesiastic. c. 7. qui timet Deum nihil negligit (idest neque minima)*.

3 *D. August. tract. primo in Epis. D. Jo. inter effectus negligentia enumerat contemptum peccatorum venialium*, ut dispositivè ad mortale perducatur, ibi multa peccata levia faciunt unum grande, intellige ut dixi dispositivè, ut colligitur ex *eiusdem serm. 88. de tempore*, ubi hæc (*dum homines negligentes in primis despiciunt peccata sua, quia parva sunt, cre-*

scantibus minutis peccatis, adduntur & crimina, & cumulum faciunt, & demergunt, & otiosi de facili de aliis temere judicant; Hierony. in Micheam lib. 1., & in Ezechiel. lib. 13.

4 *Et D. Jo. Chrysost. hom. 27. in Matheum ait. Novimus multos ad ipsius propè Cæli verticem conscendisse, virtutum omnium partes, numerosque illustrium exercitationum habuisse, deserta denique loca à vita hominum aliena coluisse, & neque feminam, vel in somnis quidem vidisse, & tamen negligentia lapsos ad vitiorum baratrum devenisse. Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ait Apostolus 2. ad Corinth. c. 4.*, quid autem fragilius vase fictili, quo edocemur, quanta diligentia thesaurus sit custodiendus, dum non in arce forti, sed in fragili vase contegatur.

5 Democritus interrogatus, qua re industrii ab inertibus differant: respondit, qua Impii à Piis, certum est enim, quod otium, & voluptas sunt arma Diaboli, ad miseram animas captivandas, *c. Nisi d. Verum de renunt.*

6 Hinc apparet maxima differentia inter Dei, hominumque Iudicia, nam humanus Iudex de minimis non currat *l. scio ff. de integritate restitutione, l. si oleum ff. de dolo, c. cum te de re iudicata, l. quamvis ff. de condit. & demonstrat*, sicuti dicitur, quod de modico tempore non est curandum, *l. & si post tres ff. si quis caution. c. potuit de locato*, immò pro modicis non aditur Prætor, *l. placet C. de Pedan. Iudic.*

At coram Deo, etiam pro minimis neglectis iudicabitur homo, eique poenitentia subeunda est, sicque propter minimas negligentias, retineatur anima in Purgatorio, ne Divina fruatur visione, quod apud Iustos, & probos magnæ considerationis est, quinimò *D. Jo. Chrysost. tom. 5. suorum operum, discursu de levium peccatorum periculis, ait, quod nullus est peccator sine negligentia, quia dum vitia fiunt, imperata audaci contumacia negliguntur.*

Ad quod usque in terrestri Paradiso, primum hominem novit Deus, non esse otiosè negligendum, dum eundem posuit in Paradiso, ut operaretur, & custodiret illum.

7 Diligentia omnium virtutum mater est, & magistra; ubi è contra doctrinæ, & disciplinæ

plinæ noverca est negligentia, ut scripsit Boetius de disciplina scolastica, ita quis naturam, quam sibi formare non potuit ad perfectionem, reformabit diligentia, perfectam verò destruit negligentia, ut ait Ambrosi. tract. de Joseph. binc diligens industria utilior, quam bonum ingenium, quod per negligentiam hebetatur; praxis enim ostendit, quod multi intellectus acumine præditi, otio, & negligentia torpeant, ubi rudiores ingenio, diligenti studio acutiores resplendeant, ad cujus confirmationem egregiè facit, quod scripsit Sanctus Clemens, primus hujus nominis Pontifex, epistola 3. de officio Sacerdotis col. 2. (Origo totius mali ab ignorantia descendit, & ipsa sit omnium malorum mater, quæ incuria quidem, & ignavia dicitur, negligentia verò alitur, & augetur.

8 Si negligas unicum syllabam in forma sacramentorum pronuntianda, sacramentum non facis c. 1. de Baptismo, quia sicut modicum fermentum totam massam farinae corrumpit, ita modicum omissum totam bonarum virtutum congeriem destruit, sicuti emphiteuta qui solvit pro canone annuo, unum quadrantem, si per biennium negligat solvere, cadit à commodo totius emphiteutis; Corset in tract. de rebus minimis p. 2. nu. 6. Vers. (Decimo quarto) Barbosa de axiomat. Juris axiomat. 151. num. 9., ex parva ergo negligentia, magna subsequitur jactura.

9 Pigritia, vitium, quod respicit corporalia, quatenus excludit labores, quos corpore operando sustinere deberet homo, & Accidia, quæ respicit spiritualia, quatenus à bono spirituali operando torpet, semper cum negligentia sunt, vel tamquam causa, vel tamquam effectus, undè cum sit indivisibilis comes vitiorum, non potest non cuncta vitare.

10 Verùm non tantum considerari debet id, quod neglectum est, quod forsitan est minimum, sed potius, quod indè ex negligentia sequitur, & quidem quod Diabolus contra negligentes validus gigas est, ubi contra diligentes imbellis, & musca est, quare August. serm. 197. de tempore (multum inquit prevalet Demon, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur, negligentia sepè de virtute facit peccatum, ut monuit Gregor. 13. moral., & ut plurimum homo negligens inconsideratè, & stultè loquitur, fuitque Demostenis pronuntiatum, quod homines socordes præsentia negligunt, & futura

benè successura putant, sed insipienter.

11 Considerandum est, quod negligentibus Deus subtrahit multa auxilia, & dona, quæ operantibus, & diligentibus elargitur, quod explicavit Christus Luca c. 19. in parabolis decem mnas, ubi qui unam recepit, & in sudario reposuit, eamque operari neglexit, Regis decreto privatus fuit Mna, & quæ decem habenti, & diligenter operanti divino munere fuit adjudicata, Mathei 25. simile expressit sub figura decem talentorum, ubi qui unum talentum acceperat abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui, qui Dominus, dum rationem poneret, & hunc pigritia, negligentia, & otio torpentem invenit, sententiam hanc pronunciavit: (tolite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta, omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo, & inutilem servum eicite in tenebras exteriores) Ex quibus clarescit qualiter Dominus Deus à negligentibus dona auferat, diligentibus verò multiplicet, eosque ditet spiritualibus, ac temporalibus bonis, ad quem locum Baradius lib. 10. c. 20. ad finem Vers. (servus hic malus) notat, quod hic servus vocatur inutilis, & adumbrat eos, qui ex traditis sibi à Deo donis naturæ, vel gratiæ gratis datæ, fructum, & lucrum debitum ex negligentia non producant, quod Chrysostom. hom. 41. in Genesim, de Magistris, & doctoribus intelligit, ut talenta sibi concredita doctrinarum non abscondant, sed discere cupientibus omni diligentia apponant.

12 Qui parè seminatur, parè & metet, ait Apostolus, addas, & qui nihil seminatur nihil metet, vide ergo quomodo spiritualia bona ad mensuram diligentiae concresecunt, & contra verò ad mensuram negligentiae decresecunt.

13 Et grande malum, quod ex negligentia promanat expressit Christus Dominus in Evangelio Mathei c. 22. ibi quod invitati ad nuptias neglexerunt venire, idè fuerunt omninò exclusi. Luca 12. Dives in Inferno sepultus petit sibi tantum à Lazaro linguam refrigerari, rationem reddit Chrysologus serm. 66. lingua plus ardet, quæ misericordia ut fieret Jubere neglexit.

14 Quod si de negligentia Pastorum dicendum esset, videantur, quæ de negligentia Episcopi dicta sunt, ad parabolam zizaniorum super seminatum in agro Ecclesiæ, dum dormi-

dormirent homines, idè dum negligentius agerent Præpositi Ecclesiæ, errores, & hæreses fuerunt in agro fidelium seminati, & creverunt, zizaniae autem nomine pravæ cogitationes à Diabolo in negligentium cordibus seminatæ. Beda intelligit in Matheum 13., quæ multum excrescunt, etiam bonum triticum, idè virtuosas cogitationes soffocant; Pastoribus è contra custodientibus vigiliis noctis Angelus Christi Domini annuntiat natiuitatem; & cælestes concentus auribus insonant.

15 Dixi à principio non posse facile explicari, quanta mala producat in hominibus negligentia, quia propter negligentiam in omni genere, virtutes extinguuntur, vitia concresecunt, idè Proverb. c. 24. dicitur (per agrum hominis pigri transivi, & per vineas viri stulti, & ecce totum repleverant urtica, & operverunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat,) ad quæ respiciens D. Bernardus in psal. qui habitat, serm. 11. ait, vitanda negligentia est, nam in graviore periculo est desperationis inditium.

16 Quod Sampson vir fortissimus, dum dormiret à femina vincitur, & in manus hostium tradatur, quid aliud edocet nos, nisi quod viri alioquin fortes virtutibus, potentes viribus, Diabolo terribiles, si desides dormire, & negligentius agere incipiant, omni virtute deperdita, Diaboli laqueis victi, bonis omnibus expoliati, asinariæ molæ, idè tamquam rudes belvæ inscitiae, & vitiorum damnabuntur servituti, quod & femina Jael Sifaram dormientem Judic. 4. obruncasse legitur, negligentiae præsignavit damna, quæ summos etiam bellatores, rationali vita obruncata, omnium malorum obvoluit tenebris in perpetuas æternitates, quod præcavendum sibi prænuntiat David psal. 131. si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum domino, idè negligentiae somno, non conquiescam, donec domino occuram in loco salutis æternæ, propterea psal. 11. canit, media nocte surgebam ad confitendum tibi, didicerat enim experimento, quod dum bellicis laboribus insudaverat, de luxuria trophæum retulit victor, at dum negligentius conquiesceret otio, concupiscentiis victus adulter, & vir sanguinum est effectus.

17 Præpotens Olofernes, dum diligentius vigilat, evertit hostes, quatit Urbes, arietat bellatorum corda, cuncta timore propullat,

semel autem negligentiae sopore captus, imbellis feminae obruncatur manu, evertuntur Victorum, Castra, & facta confusione in domo Regis super devictos hostes, Judit femina decantat triumphum. Judit. c. 13., facta sunt antiquiora, sed ad nostram doctrinam scripta sunt, ut prospiciamus, quanta sint mala, quæ tum in rebus temporalibus, tum in spiritualibus actionibus negligentia operatur; Jacob vidit scalam usque ad Cælum pertingentem, & Dominum innixum Scalæ; Genesi 28., sed ut disceret tantus Patriarca, qualiter pertingendum ad Deum, vidit Angelos ascendentes, & descendentes, nullos quiescentes, omnes operi, ac labori deditos, neminem verò stantem, otiantem, & negligentem; undè infert, verè non est hic aliud nisi domus Dei, & Porta Cæli, quia ubi nullus est negligens, & otiosus, ibi Cælorum patet ingressus domus Domini, prædestinatos ad Dei recipit fruitionem, quæ est præmium ascendentium per contemplationem, & descendentium ad vitam activam, per charitatem; Hinc D. Hieronimus in epistola ad Eustochium, cui titulus epitaphium Paulæ, referendo, qualiter Paula pervenerat ad locum Bethel, ubi Jacob vidit scalam ad Cælum pertingentem, Angelos ascendentes, & descendentes, ait, quod Dominus desuper innitebatur ascendentibus porrigens manus, & negligentes de sublimiori præcipitans.

18 Neglectam custodiam, suæ innocentiae semel quesitæ, perniciosam valde declamat, Greg. in pastorali p. 3. admonitione 31., quem refert Gratian. in c. Lavamini de penit. d. 3. per hæc verba (post lavacrum mundus esse negligit, quisquis post lacrimas innocentiam non custodit.)

Ad quod Catonis disticon celebratur.

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.

Nā diuturna quies vitiis alimenta ministrat. Et in Proverb. c. 3. Mulier fortis dicitur, quæ panem otiosa non comedit, è contra verò Ecclesiast. 33. dicitur, multam malitiam docuit otiositas, ad quod facit illud Ovidii de remedio amoris (Queritur: Egessus quare sit factus adulter, in promptu causa est, desitiosus erat.)

Otia si tollas perire cupidinis artes.

19 Post peccatum penitentiam, & satisfactionem non esse negligendam, docet August. relat. in c. Sanè cavendum de penit. d. 3. ad finem dicens (nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur,) qui verò